

accusationis suæ, à Leone Sclavos in Lusatiam excitos; at cùm Leo indecorum sibi reputaret, cum impari congregari, petijt per amicos copiam Cæsaris privatim conveniendi; qua impetrata, Cæsar Halleslebiæ eam fecit; quo in congressu tam exquisitè reddita factorum suorum ratione detinuit Cæsarem, ut quinque marcarum millibus contentus esset; eam si fisco inferret mulctam, absolvendum; id cùm negaret, obtenderetque graviolem esse, quàm ut solvendo sit, re infecta discessit; nescius temporì cedere, & modica jactura magna rerum momenta lucrari. Rursus igitur prorogato iudicio iussus est tertium se Goslarix sistere in conventu Principum, ad dicendam causam, & cùm illuc quoque aspernaretur accedere, iudicio Principum proscripius est, decretaque in eum tanquam contumacem, & publicum Reipublicæ hostem expeditio, quam primus sumpsit Philippus Coloniensis Archiepiscopus.

Movet in illum Philippus Archiep. Colon.

Is omnes Ecclesiæ suæ clientes, vicinos Duces ac Comites excitavit ad arma. Accessere Godefridus Dux Brabantix, Philippus Flandriæ, Otto Gelriæ, Theodoricus Clivix, Wilhelmus Julix, Gerhardus Aræ, Henricus Seinæ, Engelbertus Montium, Everhardus Altenæ, Simon Teclenburgi Comites; quorum alij submissis copijs, alij sui militis ductores affectati Archiepiscopum, proscripius Ducis terram intravere, prædis, incendijs, & cædibus infesti. Multa etiam sacrilegè perpetrata refert Arnoldus Lubecensis, exustas Ecclesias, everfa Cœnobicia, raptas ad libidinem Sanctimonialia. Hæc dum per Westfaliã agerentur, Udalricus Halberstadiensis Episcopus per omnes Ducis regiones sacrorum usum interdicit, Ducemq; anathematis sententia percutit; at ille, qua erat religione in Deum, ad Episcopi pedes provolutus, reddita factorum suorum ratione, à vinculo anathematis absolvitur. Interim Wigmannus Magdenburgensis Archiepiscopus, haud secus quàm Coloniensis, ope Principum Orientalis Saxonix Ducis castra oppugnat. Ipse Dux conversis in Hassiam armis Ludovicum Hassiæ Landgravium, Bernardum Ducem, & Hermannum Palatinum, Widekindum Waldecensem Comites prælio superat, captosque cum 400 milibus abducit: Bernardus Dux fuga elapsus: direptum Northusium & Mulhusium, ceteraque circum oppida. Cognita verò irruptione in Westfaliã facta, mittit Dux bellicosos Comites, Adolphum Schawenburgicum, Guncelinum Suerinensem, Bernardum Raceburgicum, Bernardum Welpensem, Ludolphum & Wilbrandum Halremundios fratres, Widekindum Dynastam de Rhede ad Amasin, copijs validis instructos. Horum Dux à Leone præstitutus erat Bernardus de Lippia, militum fortissimus. Jam Coloniensis Archiepiscopus, accepto fidei Sacramento, à Westfaliæ Ducatu recesserat ad Rhenum, relicto Simone Teclenburgico Comite, Hermanno Ravensbergico, Widekindo Sualenbergensi cum Henrico Comitis Arensbergensis filio,

Episcopus Halberstad. Ducem à communionem fidelium segregat. Archiep. Magdenb. Ducis terras hostiliter invadit.

Comes Lippiensis confli- git cum Teclen-

filio,